

Johann Gabriel Pries

Commentatio Critica De Divina Legum Mosaicarum Praestantia, Warburtono Opposita

Gustroviae: Fritzius, 1757

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn84398094X>

Druck Freier  Zugang





Von Prostorber Fund Kupf
101a. B.

48. b. 21.

425

Fa-1092(100.)

1) Taddel (Joh. Jac. Storr) de lingua Libilita
te Apostolorum

2) Skeler (Gerhard. Henning) de chorea

3) Viti
3) Quistorp (Joh. Bernh) de mystici

Spiritus sancti in Mariam peperera
in iuxta Effatum Luc 1, 34

4) Bibliotheca elegantiorum et pretiosio-
rum in illustriora et selectiora veteri
testamti loca

5) Lincan (Jo. Olsuf. Salm) Abras sum
de in dno yantem Librum Iesu pnr
vntu fctum

6) Boemia (Joh. Gottl) De Philippi
Melanchthonis in Academicam Lipsi
cam insignibus mentis oratio

7) Doederlein (Christ. Albert) de dono
Spiritus Sancti ad episcopi Ministerium
hanc alligato

8) Wiggers (Otto Ernst Christ) de Usu et
Abusu rationis humanae in rebus divinis

9) Christ. Augustijn Conformatione dno Duce
Christij hinc finem et dno hinc hinc

10) Carl Ludewigs ffultz. Gredm. Gredm. Gredm.
11) Muller (Gott. Steph.) Christus per ipse

12) Baillhagar (Joh. Henr) Historiae locorum
Theologorum Phil. Melanchthonis

13) Hultin (Casp. Jac) de Setru non Petra
14) Deinde de Vocatione ad ministerium
ecclesiasticum

15) Schultze (Steph) Archaeologiae saeculae

16) Lincan (Jo. Olsuf. Salm) Abras sum
de in dno yantem Librum Iesu pnr
vntu fctum

17) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus historia ven-
tionis biblicorum germanicae

18) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

19) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

20) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

21) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

22) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

23) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

24) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

25) Krafftens (Joh. Elsch) Srodromus continuali
historiae veteris biblicorum germanicae

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18

- 27) Soderlern (Christ Albert) de Christiani
Christo ex mortui sepulchro resurgenti de
moniali ad illustrandum locum Sardin Romani 4
28) Rient (Carl Joh.) Oraculum in Euang.
Luc 1, 16-21 ex Esai 47, 1, 2 citatum de
29) Reckner et Jernatius Academiae Regiomon-
tanae programma utrum deum deceat
litium suum unicum in carnem humanam misse
30) Sries (Joh Gabr) de doctrina legum Mosai-
carum praesentia theodotono opposita
31) Scherren (Andr Christ) de litteris vocali-
bus in occidui in scriptura veteri
Testamenti hebraei

COMMENTATIO CRITICA
DE
DIVINA LEGVM MOSAICARVM
PRAESTANTIA,
WARBURTONO
OPPOSITA.

ACROAMATI ORATORIO
SERENISSIMI DVCIS, PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI,

DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI,
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI AC RACEBURGI,
COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARVM ROSTOCHII
AC STARGARDIAE DYNASTAE,
DOMINI NOSTRI ET NVTRITORIS HVIVS GYMNASII
LONGE CLEMENTISSIMI,

AVGVSTO NATALI,

DIE IX. NOV. A. R. S. MDCCLVII. ILLVSCENTI,
S A C R O,

ET IN AVDITORIO MAIORI HORA IV. A MERIDIE
SOLLEMNISSIME HABENDO,
INVITATIONIS CAVSSA PRAEMISSA

AVCTORE
M. IO. GABR. PRIES,
DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS RECTORE.

GVSTROVIAE,

TYPIS IO. GOTTH. FRITZII, SER. PRIN. TYPOGR. AVL.

COMMENTARIUM CRITICUM
 DE
 DIVINA LEGVM MOSAICARVM
 PRÆSTANTIA,
 WARRVSTONO
 OPPOSITA.
 AGRAMATI ORATORIO
 SERENISSIMI DVCS, PRINCIPIS AC DOMINI
 DOMINI
 FRIDERICI,
 DVCS REGNANTIS MEGALOTTANI,
 PRINCIPIS VETVSTÆ GENTIS HENETAE, SVBINI AC RACERVOR,
 COMITIS ITEM SVBINENSIS, TERRARVM ROSTOCHINI
 AC STARGARDIÆ DYKASTÆ,
 DOMINI NOSTRET VVITTORIS HVIVS GYMNASII
 LONGÆ CLEMENTISSIMI,
 AVGVSTO NATALIS,
 DIE IX. NOV. A. R. S. MDCCCLV. ILVSCENSIT,
 S. A. G. R. O.
 ET IN VADITRIO MINORI HORA IV. A MERIDIE
 SOLEMNISSIMÆ HABENDO,
 INVITATIONIS CAVSSA PRÆMISSA
 A VCTORE
 M. IO. GABR. PRIËS,
 DVCAE GYMNASII GYSTROVENSIS RECTORÆ.
 GYSTROVIAE,
 TIVS IO. GOTTI. ERITZII, SER. TRLN. TYPOGR. AVT.




DOMINO nostro longe Clementissimo
Sacer est, atque devotus, quem gloriosissimas TANTI
PRINCIPIS natalis eas agere iubent. Pro felicitate
nostra, quae his in primis temporibus tanta est, quam
est, quum solet esse maxima, immortalis
nos agere laudes atque grates, quam cum
faciunt, ut servet FRIDERICVM
MVA PRINCIPEM, & DVCEM RE-



Quum tot Germaniae gentes sub belli
strepitu ingemiscant, Meclenburgicis
regionibus sane non est, quod
doleant, atque querelas iactent. Pa-
cis nos fruimur quiete dulcissima,
gaudiis, precibus, & votis personant tecta nostra, &
templa, viuit, floret, atque viget DVX SERENISSI-
MVS, PATRIAE PATER. O immensam DEI grati-
am! In hac communi omnium laetitia nostrae quoque
Musae hodie in primis gaudent, & ad sacrarium suum
aduolant.

A 2

Hic



Hic enim dies DEO T. O. M. sacer est, &
PRINCIPI SERENISSIMO,

DOMINO FRIDERICO,

Duci Regenti Terras Meclenburgicas, Principi vetustae
gentis Henetae, Suerini & Raceburgi, Comiti
item Suerinensi, Terrarum Rostochii, ac
Stargardiae DOMINO,

DOMINO Nostro longe Clementissimo,

Sacer est, atque deuotus, quem gloriosissima TANTI
PRINCIPIS natalicia eas agere iubent. Pro felicitate
nostra, quae his in primis temporibus tanta est, quanta
est, quum solet esse maxima, immortalis Deo non mi-
nus agent laudes atque grates, quam eum precibus de-
fatigabunt, vt seruet FRIDERICVM SERENISSI-
MVM PRINCIPEM, ac DVCEM Regnantem, sospi-
tem & incolumem, vt diu regnet,

pacatumque regat patriis virtutibus orbem,
vt SERENISSIMAM PRINCIPEM ac DOMINAM, LOVISAM
FRIDERICAM, CELSISSIMAM CONIVGEM, atque MA-
TREM PATRIAE CLEMENTISSIMAM, omni ornet pro-
speritate, vt PRINCIPEM LVDOVICVM, DVCEM CLE-
MENTISSIMVM, & CONIVGEM CONSVMMATISSIMAM,
CHARLOTTAM SOPHIAM, DOMINAM CLEMENTISSI-
MAM, & FILIVM PRINCIPEM, FRIDERICVM FRANCIS-
CVM, omni sua cumulet gratia TOTAMque DO-
MVM

MVM MECLENBURGICAM SERENISSIMAM
tueatur, defendat, gloriamque Eiusdem constantem
atque perennem esse iubeat clementissime.

Publicis haec vota complectentur orationibus
XI iuvenes, magnae spei generosi, & litterarum amo-
re, & morum elegantiâ, commendandi

- I. *VLRICVS JOANNES FRIDERICVS DARIES,*
Warenfis.
- II. *FRANCISCVS GOTTLIEB FRIDERICVS PAETOW,*
Bliefcho - Megapolit.
- III. *JACOBVS FRIDERICVS ROENNBURG,*
Parchimenfis.
- IV. *ALEXANDER JOANNES GVSTAVVS de BERG,*
Eqves Megapolit.
- V. *JACOBVS ERNESTVS de KNVTH,*
Eqves Megapolit.
- VI. *CHRISTOPHORVS ALBERTVS de KAMPTZ,*
Eqves Megapolit.
- VII. *JOACHIMVS HENRICVS SPALDING,*
Guftrouienfis.
- VIII. *ERNESTVS JOANNES CONRADVS WALTER,*
Claber - Megapol.
- IX. *GEORGIVS CHRISTIANVS ERNESTVS WINTER,*
Creflino - Megapol.
- X. *ERNESTVS JOANNES DARIES,*
Warenfis.
- XI. *OTTO ERNESTVS CHRISTIANVS WIGGERS,*
Warenfis.

Historiam rerum huius saeculi, quas per biennium vidit Germania, alii exhibebunt, alii Patriae felicitatem prae aliis regionibus celebrabunt, alii autem argumentum dicendi ex iure naturae sumserunt.

Primus igitur commemorat causas, quae nos hac bellicosissima aetate ad pie sancteque agendum SERENISSIMI NOSTRI DVCIS natalem commouent.

Secundus adfert molestiarum belli querelas,

Tertius in laudem pacis dicet,

Quartus de Germania laborante declamabit,

Quintus Principem pacis amantem, & bellicosissimum comparat,

Sextus DVCIS FRIDERICO FRANCISCO, primum aetatis suae annum feliciter superatum, humillime gratulatur,

Septimus de statu naturali, bello omnium contra omnes,

Octauus de iure belli diuino,

Nonus de nonnullis belli iniusti causis, &

Decimus de bello punitiuo breuissimis dicent, ac denique

Vndecimus pro SERENISSIMI DVCIS Regnantis, ac totius DOMVS MEGLENBVRGICAE incolumitate, felicitate ac gloria intercedit apud DEVM votis, simulque SVMMVM NVMEN precatur, vt reddat Germaniae pacem Ecclesiamque suam, in hac vita militantem, protegat, defendat, ornet & amplifiet.

Vario

ni en Vario autem vtuntur oratores nostri sermone, primus enim, quartus, quintus & sextus, oratione germanica, tertius & vndecimus, carmine germanico, septimus, nonus & decimus, oratione latina, secundus & octauus carmine latino, different, canentque.

Quibus benetole audiendis, vt interfint hora IV. a merid. nostrisque precibus, vt SERENISSIMO DVCI Regnanti sit imperium felicissimum, atque tranquillum, vita diuturna, rerum salus per omnes partes affluentissima, Suas iungant, VIRI ILLVSTRES, GENEROSSISSIMI, SVMME REVERENDVS, CONSVLTISSIMI, PRAENOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI, PLVRIMVM REVERENDI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI, ea, qua decet, obleruantia, & humanitate oro, rogoque.

* * * * *
* * * * *

¶ **P**erfeci muneris partes, & quas in *SERENISSIMVM* Ratio *NOSTRVM DVCEM* pietas a me exigit. Nunc pro- instituti. greditur nostra oratio ad *CELEBERRIMVM WARVRTONVM*, cuius sententiam de diuina Mosis legatione examini subiicere, animus est. Jam duas commentationes, quae inscribuntur diuina legum Mosaicarum praefantia, in lucem emisimus, atque *DEISTIS*, contra quos vir ille eruditissimus pugnat, opposuimus. Longe

ge aliam nos quidem sumus ingressi viam. Vna in ipsam legum Mosaicarum indolem interiorem, altera in rationem praemiorum & poenarum, in hac vita quae siue speranda, siue timendae sunt, paucis inquirat, vtraque vero Mosis legationem, eamque diuinam contra *DEISTARVM* gregem, me quidem iudice, defendet atque tuebitur. Quod si de altero caussarum impellentium genere quaestio mouetur, in contrarias descendit *WARBYRTONVS* sententias, multaque eruditionis copia studet probare, ne vllam quidem in lege Mosaica de futura vita factam esse mentionem, vid. l. c. Part. II. pag. 27. seqq. Part. III. pag. 122. seqq. pag. 266. seqq. pag. 295. seqq. pag. 318. seqq. & alibi. Judicent velim viri eruditi, vtrum eiusmodi sententia cum dictis noui foederis satis claris Joh. cap. V, v. 39, 45, 46. Luc. cap. XXIV, v. 27. Actor. cap. X, v. 43. recte beneque conciliari possit. Liceat nobis quaedam ex veteri testamento adferre loca, quae ipsas leges concernunt, & breuissimis exponere. Faxit rerum omnium almus & praepotens *DEVS*, omnia vt in ipsius gloriam vergant.

§. II.

Foedus Si-
naiticum
est & le-
gale, &
gratiae.

Foedus, quod Deus T. O. M. Supremus ille Mosaicarum legum auctor, ex Sina monte cum tota gente Israëlitica sollemni icit ratione, vberiori expositione nobis, certamen cum Celeb. *WARBYRTONO* inituris, in pri-

primis dignum esse videtur. * Quodsi enim illud, quo
 suas leges voluit Deus niti, foedus comprehendat pol-
 litationes spirituales & aeternas, qui Cel. WARBVR-
 TONI sententiae calculum addat, ego quidem arbitror,
 fore neminem. Diuus ille Moses, cuius ministerio
 erat vsus, his commemorat verbis: ועתה אִם-שָׁמוּעַ
 הַשְּׁמִיעוּ בְּקוֹלִי וְשָׁמַרְתֶּם אֶת-בְּרִיתִי וְהָיִיתֶם לִי סִגְלָה כְּכֹל-
 הָעַמִּים כִּי-לִי כָל-הָאָרֶץ וְאַתֶּם תְּהִיְוֶלְדוּ מַמְלַכַת כַּהֲנִים
 קְדוֹשׁ : וגו' a FRANC. JVNIO ita translatis: Nunc ita-
 que, si sedulo adtendetis voci meae, & seruabitis foedus
 meum; vtique eritis mihi peculium prae omnibus aliis

B

popu-

* Deum, quum ferret leges, nec angelo quodam vsu fuisse,
 patelcit ex Actor: cap. VII, v. 38. coll. Exod. cap. XX,
 v. 1. vbi angelus (angelus foederis) qui cum Mose in
 monte loquutus fuit, dicitur Jehova, ex Deuter. cap.
 XXXIII, v. 2. Psal. LXVIII, v. 18. Contrarias partes am-
 plexi sunt CHRYSOSTOMVS ad Hebr. cap. II, v. 2. THE-
 ODORETVS Oecumen. THEOPHYLACTVS, HIE-
 RONYMVS ad Galat. 3, 19. quem locum vertit S. R. D.
 HEVMANN, das Gesetz ist von den Engeln ausgesprochen
 worden. Quod autem ad Hebr. cap. II, v. 2. spectat,
 rectius quisquis doctor & vates, verbique minister in-
 telligitur, Matth. cap. XI, v. 10. Malach. cap. III, v. 1.
 cap. II, v. 7. II Cor. XII, v. 7. ἀγγελος σατανᾶν angelus
 Satanae. Indigitatur quidam ex Pseudapostolis primari-
 is, contra quos Paullus locutus erat. Particula vero
 δια, quae altero loco, quem opponunt, occurrit, bene
 redditur per coram, II Timoth. cap. II, v. 2.

populis, nam mea est tota terra: Vosque eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta, Exod. cap. XIX, v. 5. 6. Duplex est, dum simul adfertur conditio quaedam, foederis pars, vna complectitur obedientiam, altera pollicitationes & praemia spiritualia, atque aeterna, quae sanctos piosque manebunt. Antequam de his dicam, obedientiam, quam in hoc foedere, quod dicunt Sinaiticum, Deus requirit a gente Israëlitica, paucis tangam. Deum exigere obedientiam omni parte absolutissimam, quis est, qui dubitet, aut neget? Quamquam enim mortalium nemo Deo perfecte audiens esse possit dicto, tamen, hac infirmitate & impotentia nostris criminibus contracta, summa, qua pollet, non patitur iustitia & sanctitas, vt de iure suo in nos quicquam decedat Deuter. cap. VI. v. 5. Marc. cap. XII. v. 29. 30. Idem quoque nos colligimus ex Mosis oratione, ועתה אם שמעו בקולי, vbi verbum שמע non nudam auditionem, sed perfectam obedientiam Hebraeorum more significat, Genes. cap. XII. v. 18. Proverb. cap. I. v. 33. eumque repetitur in finem, vt, quam perfectam leges postulent obedientiam, inde satis constet. Verba enim, si in vna eademque oratione bis ponuntur, suam vim atque potestatem intendunt & augent, Genes. cap. II. v. 17. cap. XXXVII. v. 33. Exod. cap. XXI. 19. Vocabulo קול vero subiicitur quaeuis, quae Dei est vox atque sententia, lex diuina siue naturalis, siue ex forma rei publicae Iudaicae, siue ecclesiae cognoscenda. Patet igitur, populum omnibus hisce teneri legibus, & obedientiam requiri

quiri omni parte perfectam. Cognita hac Dei, severissimi iudicis, voluntate, ut quererentur de sua impotentia ac debilitate, tantum aberat, ut, acsi omnem suae miseriae deposuissent memoriam, exclamarint Israëlitae, quicquid dixerit JEHOVA, faciemus, Exod. cap. XIX. v. 8. & lege iam lata, omnia haec verba, quae dixerit JEHOVA, faciemus, Exod. cap. XXIV. v. 3. Sane mirum est, tantas populum sibi tribuisse vires, quantas requirit perfecta, legibus exhibenda, obedientia. Nullam vero haec res habet admirationem, si ea mente Deum has tulisse leges meminerimus, ut mortales suae calamitatis convinceret, ut de necessitate satisfactionis Servatoris nostri, & perscrutandae impletionis legis, ab ipso factae, edoceret, & ut ad eius obedientiam perfectam omni fide adprehendendam admoneret, incitaret atque impelleret. Testem excito omni exceptione maiorem, diuum Paullum, qui confirmat, *τέλος νόμου. Χριστός εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι. μαρτῆς γράφει τὴν δικαιοσύνην. τὴν ἐκ τοῦ νόμου. Ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος. ἤσθηται ἐν αὐτοῖς. Rom. X. v. 4. 5. & ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν, Gal. cap. III. v. 24.*

Non igitur in vlllo versantur eruditorum nonnulli errore, qui foedus Sinaiticum & legale, & gratiae foedus esse contendunt. Praeclare ille ipse CALVINVS ad Exod. cap. XIX. v. 17. scribit: „Docemur his verbis, „non edita fuisse prodigia, quae populum fugarent a „Dei conspectu, nec timorem fuisse incussum, qui exacerbaret animos in odium doctrinae; sed foedus Dei

B 2

„πολι

„non minus fuisse amabile, quam metuendum. Iuben-
 „tur enim obuiam ire Deo, vt prompto affectu se ad ob-
 „temperandum sistant. Hoc autem fieri non poterat,
 „nisi aliud in lege audirent, quam praecepta & mi-
 „nas.”

§. III.

Foedus
 Sinaicum
 est foedus
 Abrahami-
 cum.

Requirit praeter ea lator legis, isque sapientissi-
 mus, vt seruet populus foedus suum, dicens: ושמרתם
 את בריתי Exod. Cap. XIX. v. 5. Quid est, quam ob rem
 multis, id fuisse nisi Abrahamicum foedus, confirmem
 argumentis? Recepti iam erant in illud per circumci-
 sionem, signumque eius in corpore suo gerebant. Te-
 stantur id quam plurima dicta, testatur & Josua, qui
 circumcidi illos iussit, qui in desertis nati erant locis,
 Josua cap. V. v. 5. Ne vero longus sim, quae ad Celeb.
 WARBVRTONI sententiam infringendam faciunt, in
 medium proferam. Promittit primum Deus T. O. M.
 se futurum Abrahami, eiusque posterorum Deum Ge-
 nes. cap. XVII. v. 7. O praeclaras pollicitationes! beata
 est, inquit DAVID Psal. XXXIII. v. 12. collat. Psal.
 LXXIII. v. 25. ista gens, cuius JEHOVA dicitur Deus,
 & diuus Paullus asseuerat, certum locum iis in caelo
 esse definitum, quorum Deum Deus quo minus se voca-
 ret, non abstinuit Ebr. cap. XI. v. 16. Tum fidem dedit,
 se per ipsius filium omnibus totius orbis terrarum po-
 pulis salutem esse daturum, Genes. cap. XII. v. 3. cap.
 XXVI. v. 4. cap. XXVIII. v. 4. 13. quam quoque serua-
 uit,

uit, descendente e caelo Dei filio, vt hominem indueret, nosque sanguine suo expiaret Luc. cap. I. v. 54. 55. 72. 73. Actor. cap. III. v. 25. 26. cap. XIII. v. 32. Gal. III. v. 14. 16. En gratiam Dei, & nostrae salutis aeternae causam! Exponit quidem Cel. **WARBVRTONVS** hanc de mundi seruatore promissionem, contendit tamen, eam adeo multis obuolutam esse tenebris, vt ipse Abrahamus eam non recte perceperit. Quam temere atque friuole haec dicta sint, vix argumentis opus est. Opponimus tamen ei *a*) Genes. cap. XV. v. 6. Rom. cap. IV. v. 3. & Gal. cap. III. v. 6. quibus locis Abrahamus Deo dicitur credidisse. Sed & haec dicta misere detorquet, de fide historica modo, non autem de saluifica interpretaturus, diuo Paulo repugnante Gal. cap. III. v. 6. & 14. * *β*) Joh. cap. VIII. v. 56. ex quo clarum est, Abrahamum, qui exultabat, & videbat (ope diuinae visionis) diem Christi (tempus eius ἐνανθρώπησης, gesti muneris, passionis, item resurrectionis, & adscensionis

B 3

onis

* Vid. I. c. ex editione Summe Reuerendi **JOAN. CHRIST. SCHMIDT** Part. III. pag. 343. vbi ille: Also werden nun die des Glaubens sind, gesegnet mit dem gläubigem Abraham *====* Die Worte aber, Glaube und Evangelium werden hier, wie sonst sehr oft in den Apostolischen Schriften nicht in sensu specifico, sondern generico gebraucht, nemlich für das zuversichtliche Zutrauen auf Jemand, und für angenehme, Botschaften überhaupt. Dann es ist klar, daß der hier gepriesene Glaube Abrahams nicht der christliche Glaube an Jesum, den Messias sei, sondern der Glaube an Gott ic.

onis in caelum), nec huius promissionis veritatem & certitudinem in dubium vocasse, nec de ea vnumquam sollicitum fuisse. Vid. Joh. Christ. WOLFFII Curae Philolog. ad h.l. & Frid. Adolph. LAMPE in *Comment. in Joban.* Part. II. pag. 95 seqq. ** Addit his Deus, vt ad rem nostram redeamus, alias promissiones nempe a) de multiplicatione seminis sui in gentem magnam Genes. cap.

** Concedamus Celeb. WARBURTONO; & qui eum sequuntur, hanc, imo & alias diuinas promissiones, nec in se fuisse perspicuas, nec omnem populum habuisse cognitatas atque perspectas. Fateantur tamen, est necesse, a Sacerdotibus & Vatribus, quos iam in ecclesia Patriarcharum fuisse asserit Judas, vaticinium Chanoci commemorans in sua epistola v. 14. 15. vberius & copiosius esse illustratas. Inclinat eo diuus ille Petrus, qui omnes ac singulos Vates de Christo testimonium perhibuisse asseuerat Actor. cap. X, v. 43. Nec ipsi Iudaei, iique KARAITAE ab hac remoti sunt sententia, teste Triglandio in *Diatribes de Karaeis*, vbi pag. 121. ita: „Dixisti (Saadiah) opus habemus scire, vt gloriamur in notitia vltimi termini redemptionis, quaeque illi contermina est resurrectionis mortuorum. (Respondet R. Schalmon) in Canticis, omnibus Prophetis, ac Videntibus hi commemorantur, atque continentur; vt non opus sit ex verbis tuis, aut ingenio, ista repetere. Notare licet, (sunt verba TRIGLANDII) quum Karaei asserunt redemptionis characteres, & temporum signa, in Prophetis omnibus, Videntibus, & Hymnis passim & abunde haberi, eos sic stabilire fundamentum Euangelij, & dicere cum D. Iesu, Luc. cap. XXIV, 44. de Messia esse scriptum in lege, Prophetis ac Psalmis, & Petro. Actor. cap. X, v. 43.

cap. XII. v. 2. cap. XIII. v. 16. cap. XV. v. 5. cap. XV. v. 5.
 cap. XVII. v. 2. cap. XVII. v. 5. 6. β) de terra Canaan,
 quam Vates Jesaias cap. VIII. v. 8. vocat עֲמוּנָה
 terram tuam, Immanuel! posteris ipsius in patrimoni-
 um danda, Genes. cap. XII. v. 7. cap. XII. v. 14. 15. 16. cap.
 XV. 7. 21. γ) de posteris eius, e seruitute Aegyptiaca
 educendis Genes. cap. XV. v. 13. 14. δ) de foedere eius,
 cum posteris faciendo Genes. cap. XVIII. v. 7. 19. 21. ε) de
 filio Isāaco Genes. cap. XVII. v. 19. ζ) de nomine cele-
 bri, Abrahamo faciendo Genes. cap. XII. v. 2. 3. quare
 dicitur pater omnium credentium Rom. IV. v. 12. Reli-
 qua diuina promissa, quae magis posterorum Abraha-
 mi felicitatem & in hac vita prosperitatem, quam ipsius
 salutem attingunt, silentio praetereo. Si quis cum Ce-
 leb. WARBURTONO haec, modo dicta, promissa di-
 xerit bona temporalia, non est, quod, ne quis scribat
 ipsi dicam, vereatur. Ne vero haec gratia Dei exci-
 deret animo, circumcisionem hoc foedere instituit,
 eamque praecepit & Abrahamo, & posteris eius, dome-
 sticis atque alienigenis Genes. cap. XVII. v. 25. seqq. ***

Qua

*** Hinc factum esse puto, vt praeter Israëlitas aliae gentes
 circumcisae, siue fuerint Ismaëlitae, siue ad suos illorum
 retulerint mores, antiquis memorentur scriptoribus. HE-
 RODOTVS Libr. II. cap. 104. Colchos, inquit, Aegypti-
 os, & Aethiopes, a principi (i. e. ab antiquissimo tem-
 pore) pudenda circumcidisse: Phoenices autem & Syros,
 qui Palaestinam incolunt, se consuetudinem illam ab Ae-
 gyptiis accepisse confiteri, vid. DIODORVS SICVLVS

Qua vero, utique dubium est, utrum melius atque praestantius gratiae diuinae esse potuerit signum. Erat enim, teste Paulo Rom. cap. IV. v. II. iustitiae, quae ex fide in Christum prouenit, sigillum, reuocabat Israëlitis in mentem suam calamitatem, miseriam, ac labem, omnibus inhaerentem, quae inde dicitur cordis praepu-

Biblioth. Histor. L. I. pag. 17. & pag. 35. EPIPHANIVS aduers. Haeret. L. I. Tom. 2. haeref. 30. pag. 160. & alii, quorum catalogum refert HVGO GROTIUS de veritate religionis christianae Libr. I. §. 16. Quod ad Aegyptios attinet, de quibus HERODOTVS loquitur, longe certius atque probabilius est, ipsis, cum JOSEPHVS, qui eorum doctor vocatur, Psalm. CV. v. 22. praefesset rei publicae, suis potiora fuisse Israëliitarum instituta moresque. MARSHAMVS, quem refutat Celeb. WARBVERTONVS l. c. Part. III. pag. 339. apud Aegyptios, inquit: „circumcidendi ritus vetustissimus fuit, *ἀπ' ἀρχῆς* institutus. Illi nullorum aliorum hominum institutis uti volunt. Quod si vero id nullo egeret argumento, inde recte sequeretur, ut, si hic ritus ab omni memoria in vsu fuisset apud Aegyptios, circumcisio alia fuerit apud ipsam gentem, alia apud Israëlitas. Gentiles enim eam propter rationes physicas susceperunt, e contrario vero Abrahamo & posteris eius erat foederis Dei signum. Vid. JACOB. LVDOLPHVS in histor. Aethiop. L. III. cap. 1. PHILO de circumeisione p. m. 810. & alii, quos citant *Auctores det algem. Welth. Tom. II. §. 316. seqq. & Joh. Spencerus de Legibus Hebraeorum Ritual. pag. 66 seqq.*

putium, & cor incisum, Deuter. cap. X. v. 16. Jerem. cap. IV. v. 4. cap. IX. v. 26. Leuit. cap. XXVI. v. 41. admonebat eos de natiuitate Messiae ex femine Abrahami futura, ac denique criminis abscissionem, per regenerationem & sanctificationem in regno gloriae perficiendam, denotabat Coloss. cap. II. v. 11. Quum igitur Deus hoc renouet foedus Abrahamicum, idque ab Israëlitis omni studio seruari velit; vtique fatendum est, quot & quanta sint bona, quae foedus complectitur Abrahamicum, tot & tanta quoque in foedere Sinaitico contineri, atque Israëlitis fuisse promissa.

§. IV.

Ad alteram foederis Sinaitici progredimur partem. Iam animus praefagit, promissiones, quae toti genti factae sunt, sua praestantia aequare superiores, Abrahamo factas. Promittit Deus, fore, vt tota gens fit ipsi כְּגֵרָה. Admodum multae vocis istius adferuntur expositiones, quas hic commemorare nullius operae pretium esse videtur. Innuunt fere singulae quicquid eximium, egregium, selectum, & carum, ac proinde in deliciis habetur, & asseruatur. Vid. *WARBYRTON'S Part. III. pag. 13.* Confirmat hanc notionem radix sua Chaldaica, siue Syriaca, quae peculium acquirere denotat. Erat sequenti aetate apud Romanos peculium, quicquid per militiam, aut per artes liberales, ad quas animum adpulerat, superstiti patre, filius sibi acquisuerat, inde quoque inter peculium castrense, &, ut aiunt,

In foedere Sinaitico summus Legislator promittit, fore, 1) ut Israëlitarum saluti optime consulat, 2) vt ad Regum spirituum dignitatem euehat,

C

quasi

quasi castrense nata est diuisio. Non aliena est hæc notio a loco nostro, & a rebus ad personas restringi potest. Deus enim, ne opprimerentur, subuenerat Israëlitis, contra Aegyptios pugnantibus. At sunt verba Dei paciscentis & promittentis, hinc sensus verborum latior, amplior & foecundior sit, est necesse. Qui e proelio superior discessit, peculii sui omnem curam gerit. Itaque patet, quod Deus promittat, se, quum iam ante exitum ex Aegypto, & postea in deserta solitudine diuina sua prouida cura fuisset maxime conspicua, bonorum quorumcunque affluentia gentem esse donaturum, nihilque eorum omisurum, quibus ipsius res egregie ornari, & amplificari possent. Sed quaenam sunt illa bona? temporalia sine sacris, spiritualibus, atque aeternis, Christo ipso docente, Matth. cap. XVI. 26. nihil profunt, nec copiae omnium rerum affluentes, nec fertilissima terra, in quam ducendi erant Israëlitaë, constantem, & perennem conciliant felicitatem. Bona vero spiritualia, qualia sunt gratia illuminans, regenerans, atque iustificans tendunt ad animae salutem veram & aeternam. Quare nullum dubium est, quin & Deus, hominum saluti qui semper prospicit, hæc simul bona foedere suo promittat Israëlitis. Addit huic explicationi claritatem & lumen altera promissio; ממלכה כהנים. Plurimis probatur *Onkelosi* sententia, qui reddit: eritis Reges & Sacerdotes. Neminem latet, & fugit, regiminis formam fuisse Theocraticam, Deumque quascunque res Judaici populi suo rexisse nutu

nutu 1 Sam. cap. VIII. 7. cap. XII. v. 12. Hinc nec regnum politicum, sed spirituale hoc loco intelligendum esse, satis liquet. Petrus hanc dicti nostri fuisse sententiam nos docet, vocans fide praeditos, βασιλευσιν ἰερρατευμα, regale sacerdotium 1 Petr. cap. II. v. 9. Regum est, imperare, hostes debellare, atque vincere. Fidelium igitur erit, ut pravis imperent concupiscentiis, ut pugnam ineant aduersus suos hostes, carnem atque mundum, in societatem impiorum & flagitiis deditorum ipsos trahentes, & ut vincant per fidem. Dona hinc spiritualia, donaque gratiae regenerantis, hoc promitti foedere, res ipsa testatur.

§. V.

Omnia vltima denique est pollicitatio, quod 3) ut sine
Israëlitae fuerint כהנים sacerdotes. Sacerdotium hoc
itidem quod sit spirituale, inde colligitur, quia & sacerdotium modo familiae Aaronis erat demandatum Exod. cap. XXIIII. v. 1. nec fieri potuit, ut omnes ac singuli muneri sacro, florente atque vigente republica, praesentent. Munus autem istud praecipuum sacerdotum erat, ut

Sacerdotes spirituales.

- 1) sacrificium facerent, Leuit. cap. IX. v. 1 - 22.
- 2) populum docerent sensum legis diuinae, & promissiones de Messia Leuit. cap. X. 9 - 13. cap. XXXIII. 10. 2 Chron. cap. XV. v. 3. cap. XXXV. 3. Hagg. cap. II. 12. Mal. cap. II. 7.

C 2

3) popu-

3) populo Dei nomine gratiam caelestem, siue benedictionem sollempniter impertirent Num. cap. VI. v. 23. seqq. qua in formula promittitur

a) gratia Dei Patris v. 24. coll. Eph. I. v. 3.

β) illuminatio v. 25. coll. 2 Cor. cap. IV. v. 6. Joh. cap. I. v. 9.

γ) pax, tamquam spiritus sancti fructus v. 26. coll. Eph. cap. I. v. 17. Gal. cap. V. 22. Rom. cap. XIV. v. 17. At nec hoc soli Aaronis posteris sustinebant munus, sed & has partes excipiebant, quotquot erant Sacerdotes spirituales. Illi enim

1) offerunt per Christum corporis sui membra Rom. Cap. XII. v. 1. cap. XV. 16. 1 Petr. II. 5.

2) Ad studium recti se ipsi admonent Hebr. cap. III. 13. Gal. VI. 1. Eph. cap. IV. v. 29.

3) ad Deum fundunt pro alterius salute preces 1 Tim. cap. II. v. 1. Satis hinc liquet, promissa illa tendere ad reconciliationem cum Deo, veramque, in qua omnis nostra salus est posita, religionem. *

§. VI.

* Reliqua verba, quae refert Moses in hoc foedere, nullam ab illis diuersam continent promissionem, sed declarant modo, quanta sit istius gentis, cui tot & tantae factae sunt promissiones, prae reliquis populis, Deorum cultui deditis, dignitas, quanta praestantia, quantaque sanctitas.

§. VI.

Foedus hoc vt inter Deum T. O. M. & gentem Foedus
 Judaicam omni ritu sollempni fieret, Moses, altari ex- Sinaiticum
 structo, *μὲν καὶ ἱεράς* cum sacrificiis eucharisticis sacrificiis,
 sacrificabat, & sanguine populum, ad altare qui stabat, Seruatoris
 adspergebat, dicens: ecce *sanguis illius foederis, quod pe-* Christi typis,
pigit Jehova vobiscum Exod. XXIV. v. 7. seqq. In usu hoc confirmatur.
 fuit ab omni aetate apud gentes, vt testentur se caede,
 fracta fide, dignas esse. Auctor est Liuius hist. L. I. cap.
 XXIV: „Audi, inquit M. Valerius (Fecialis), Jupiter, au-
 „di pater patrata populi Albani, audi tu populus Alba-
 „nus, vt illa palam prima postrema, ex illis tabulis ce-
 „raue recitatae sunt, sine dolo malo, vtique ea hic hodie
 „rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Roma-
 „nus prior non deficiet. Si prior defecit publico con-
 „silio, dolo malo; tu illo die Jupiter populum Roma-
 „num sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tan-
 „toque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Id
 „vbi dixit, porcum saxo filice percussit.” Et Virgilius
 Aeneid. Libr. VIII. v. 639. seqq.

Post iidem inter se posito certamine Reges
 Armati, Jouis ante aras, paterasque tenentes
 Stabant, & caesa iungebant foedera porca.

Plura testimonia adferunt HERODOTVS Libr. I. cap.
 LXXIV. & DOUGHTAEVS in Annal. Sacr. Exc. 39.
 Tantum vero abest, vt Moses horum ritus fuerit imita-
 tus, vt potius hoc sacrificio mortem Messiae adumbra-

C 3

rit

28.

rit Hebr. cap. X. v. 1. 10. cap. VIII. 4. 5. cap. IX. v. 15. Deus denique ille legislator apparuit Mosi, Aaroni, Nadab, Abihu & septuaginta Senioribus in assumpta humana forma (erat enim sub pedibus eius velut opus pavementum sapphiro), vt futuram natiuitatem adumbraret, & quae in humana natura erant acquirenda, dona spiritualia & aeterna, iam tunc ante mentis oculos sifteret.

§. VII.

Promittit
supremus Legislator vitam aeternam
Leuit. Cap. XVIII, v. 5.

Quae vberius de foedere Sinaitico huc vsque sunt disputata, ad euertendam *Cel. Warburtoni* sententiam sufficerent, nisi & alia suppeterent spiritus sancti effata. Si quis vero est locus clarus & perspicuus, quo supremus legislator cultoribus virtutis vitam promittit aeternam; sane hic est: *si obseruabitis statuta mea & iudicia mea, homo, qui fecerit ea, viuet in eis* Leuit. cap. XVIII. 5. Paulus haec repetit verba Gal. cap. III. v. 12. *faciens, inquit, homo ea, viuet in ipsis.* Opponit ibi vitam, quae ex fide venit, vitae, quam per opera legis consequi cupiunt. Quemadmodum vero non vitam temporalem, & naturalem, dum de vita, quae venit ex fide, loquitur, sed aeternam intelligit; ita & de vita aeterna loquatur, est necesse, dum eam huic opponit. Eundem locum Apostolus iterum adfert Rom. cap. X. v. 5. *Moses, inquit, describit iustitiam, quae est ex lege, quod qui praestiterit ea, viuet per illa.* Nulla igitur esset oppositio, si vno loco vita temporalis, & naturalis, altero vero, aeterna intelligenda esset. Opponit praeterea Paullus morti, quam transgressio legis

legis infert, vitam aeternam Rom. cap. VI. v. 2. 3. Hinc illa mors, quam infert transgressio legis, sit & temporalis & aeterna, est necesse. Vnde ulterius colligimus, in lege Mosaica, quum promissiones & comminationes sibi opponantur, & vitam temporalem, & aeternam esse promissam. Et quorsum denique illa Salvatoris nostri responsio, interroganti, quid, ut vitam consequatur aeternam, sit agendum, data Luc. cap. X. v. 28? ut nos intelligamus, in lege Mosaica vitam promissam esse aeternam.

§. VIII.

Notatu digna quoque videntur verba Dei, supremi legislatoris, quae exstant Exod. cap. XXIII. v. 20 seqq. *Ecce inquit, mitto angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum, quem praeparavi. Caue tibi ob praestantiam eius, & auscultia voci eius, ne exacerbés eum, quia nomen meum est in eo.* Angelum hunc, nec creatum quemdam, nec Josuam, sed increatum, eumque angelum foederis esse, inde patet, quia ei tribuitur, & nomen Dei essentiale, v. 21. hinc eadem diuina essentia, quam pater habet, Joh. cap. X. v. 38. & potestas condonandi crimina v. 21. soli Deo propria Marc. cap. II. v. 7. Comminatur autem is, se illis, qui dicto sibi non essent audientes, nullam delictorum veniam esse daturum, qua sub poena aeterna damnatio est intelligenda 2 Cor. cap. III. v. 6. seqq. sequitur ergo inde, ut, qui ei sunt dicto audientes, iis condonet delicta. *Beatus autem est ille vir, cui Deus non imputat delicta* Rom. cap. IV. v. 8. Quum igitur supremus legislator, terret & comminatur, vitam simul aeternam pollicetur, ac offert.

§. IX.

28.

955.


§. IX.

Conclusio.


Doctrinae veritas, atque certitudo quum non sit ex argumentorum multitudine, sed vi & suo pondere dimetienda; quae modo diximus, sufficere nobis videntur. Alii contra *Celeb. WARBVRTONVM* disputaturi, pro immortali animae nostrae vita ex scriptis Mosis collegerunt argumenta, Exod. cap. III. v. 6. coll. Matth. cap. XXII. v. 23-33. Marc. cap. XII. v. 18-27. Exod. cap. XX. v. 5. feqq. Numer. Cap. XXIII. v. 10. &c. quibus locis nos addimus totum caput XI. ad Hebraeos. Ast non est in quaestione, vtrum Mosis atque Israëlitis vita innotuerit, aeterna quaerit potius *Celeb. WARBVRTONVS*, vtrum Mosis causas adferat ad studium recti commouentes, vitam quae contingunt aeternam. Nos igitur hoc vfi sumus argumento: Quicumque legislator 1. foedus icit, quo dona promittit, quae ad animae salutem pertinent, idque sacrificiis, Christi, Seruatoris nostri typis confirmat, 2. vitam pollicetur aeternam, & 3. aeterna minatur supplicia, is adfert causas ad recti studium impellentes, quae vitam contingunt sempiternam. Mosis vero commemorat eiusmodi foedus quod Deus, sapientissimus legislator in monte Sina cum Israëlitis icit &c. E - - - minoris membrum primum euincunt §. II-VI. alterum membrum §. VII. & tertium §. VIII. Maior vero nititur **JESV CHRISTI**, omnium Saluatoris verbis: *Ἀυτῆ δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκασί σε Ἰὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέσειλας Ἰησοῦν Χριστόν.*
Joh. cap. XVII. v. 3.

P. P. Gustrouiae die IX. Nouemb. A. R. S. M. D. CCLVII.










the scale towards document



§. VI.

oc vt inter Deum T. O. M. & gentem ritu sollempni fieret, Moses, altari sanguine populum, ad altare qui stabat, mens: ecce sanguis illius foederis, quod per Exod. XXIV. v. 7. seqq. In usu hoc ate apud gentes, vt testentur se caede, as esse. Auctor est Liuius hist. L. I. cap. quit M. Valerius (Fecialis), Jupiter, au- populi Albani, audi tu populus Alba- m prima postrema, ex illis tabulis ce- at, sine dolo malo, vtique ea hic hodie ecta sunt, illis legibus populus Roma- efficiet. Si prior defecit publico con- tu illo die Jupiter populum Roma- ego hunc porcum hodie feriam: tan- to, quanto magis potes, pollesque. Id m saxo filice percussit., Et Virgilius l. v. 639. seqq.

nter se posito certamine Reges s ante aras, paterasque tenentes aesa iungebant foedera porca.

adferunt HERODOTVS Libr. I. cap. GHATAEVS in Annal. Sacr. Exc. 39. st, vt Moses horum ritus fuerit imita- sacrificio mortem Messiae adumbra-

C 3 rit

Foedus
Sinaiticum
sacrificiis,
Seruatoris
Christi typis,
confirmatur.

28